



72

CALCVLI  
SVBLINGVALIS  
NVPERVM QVODDAM  
EXEMPLVM



PRAESIDE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE. ORDINIS  
MEDICI HOC TEMPORÉ DECANO,

AD. D. . NOVEMBR. CIOCCCLXXXIV.  
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM  
LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICA DISSERTATIONE

DESCRIBET

IOACHIMVS FRIDERICVS WEGENER,  
NEOSTADIO - EBERSWALDENSIS, MARCHICVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO





## PROOEMIUM.



Secundus nunc supra vicesimum exspiravit annus, cum optimus PRAESES noster, illo tempore in academia Iulia Carolina medicinam publice professus, calculum sub lingua exsectum, oblata forte opportunitate, curatius describeret \*), et ad suas origines reuocaret. Post haec tempora non aliud huiusmodi calculi exemplum a PRAESIDE est obseruatum. Accidit vero, vt praeteritis, quae hic loci sunt institutae, nundinis vernalibus eundem ludaeus quidam Wratislauiensis adiret, de tumore quodam molesto, sub lingua orto, con-

A 2 filium

\*) In *Programmate* dissertationi de tormentorum aestimatione medica praemisso et edito Helmstädtii, 1762.



filium petiturus. Ore aperto statim in conspectum venit ductus salivialis Whartoniani dextri osculum maxime hians atque dilatatum: cui insertum, explorationis causa, specillum mox offendit calculum inhaerentem et, cunei more, impactum. Sed ecce! vix eo loco, ubi tumor percipiebatur, extrorsum admovit pollicem PRAESES, modico cum pressu, cum tanto impetu ex ipso osculo profiliret lapillus, ut ad duo circiter passus decideret in terram. Quae cum omnia coram me agerentur, subiit animum cogitatio, essetne haec materies pleniori descriptione digna, sollemnique dissertationi haud inopportuna. Tametsi enim huius generis calculorum exempla non sunt inaudita, insolentia tamen atque rara nemo negabit. Quo in argumento ita versabor, ut, quae iam luculentius eadem de re, dicta commentatione, disseruit optimus PRAESES, vix attingam; ea vero, quae praesenti exemplo illustrando propius conveniunt, ex instituto pertractem.



§. I.  
*Praemonenda quaedam.*

Equidem, si luberet et mea admodum referret, possem omnino antea, quam praesentis exempli historiam conscribere instituo, plurium aliorum huius generis exemplorum, quae passim a medicarum observationum scriptoribus enarrata sunt, copia libellum hunc exornare academicum: nisi vererer, ne post ea, quae hac de re in iam excitato programme locupletissime congescit a) PRAESES noster, et praeter eundem illustris HALLERUS b) atque SCHERRERUS c), sicilimentis meis fatigem lectores. Ab his ergo conscribendis temperabo calamo, in ea potissimum intentus, quae a proposito meo propius absunt. Eius itaque viri, cuius salivialis ductus genuit exclusitque hunc calculum, habitum, naturam, praegressumque vitae genus, priusque contractas varias corporis aegritudines, quatenus haec omnia exquirendo cognoui, narrando praecipiam; tum singularem praesentis huius calculi historiam commemorabo;

A 3

morabo;

a) In *Programm. ciras.* pag. 8 seq.

b) In *Element. physiol.* Tom. IV. pag. 56.

c) In *dissertat. de calculis ex ductu salivali excretis*, Argentorati, MDCCXXXVII. §. XL. seq. pag. 547. in *Collection. Haller. dissertat. ad morbor. histor. facient.* Tom. I.



morabo; additurus denique de ortu caussisque eiusdem quaestiones. Vnde etiam intellectum iri existimo, quatenam viuendi aut medendi ratio sit instituenda ab iis, quibus concrementa huius modi calculosa aut imminet, aut iam fuerunt molesta, reditumque nunc minantur.

## §. II.

### *Aegroti vita ante acta.*

Hic igitur aegrotus, cum consilii petendi causa ad PRAESIDEM accederet, fuit homo procerus et eminentis magnitudinis, torosus, succorum plenus, viuique in facie coloris, ut absolutae omnino valetudinis speciem prae se ferret. Vix alterum supra quadraginta supergressus erat annum. Quoniam mercaturas faciebat, (fuit enim gente Iudaeus,) viuendi rationem inuit minime otiosam atque sedentariam, sed frequentibus laboribus itineribusque distractam. Sed repetendi sunt ipsi priores vitae cursus, quibus hic vir progressus est. Vtrumque parentem habuit minus bene recteque valentem: alterum saepe podagrosus; alteram vero plurimis haemorrhoidum vicissitudinibus vexatam. Ipse primis pueritiae annis satis apte valuit, si varia incommoda, infantibus corporibus familiaria, verbi causa, dentitionis difficultates, variolas, et reliqua, excipias. Sed





Sed a septimo aetatis anno fieri coepit pituitosus, frequentibusque ad fauces distillationibus opprimi, ut saepenumero vel loqui non posset. Ea aetate, ut mos est Iudaeorum, Talmudicas ingressus est scholas, et inter haec studia non dies solum, sed integras etiam noctes saepius egit. Verum enim vero valetudo teneri huius pueri tot lucubrationibus vexata infirmitatis suae varia edidit specimina. Collecta enim impuri feri colluies effecit, ut mox lippirent oculi, mox ex capite in nares fierent distillationes, mox tonsillae ipsaeque salivales glandulae tumescerent, mox denique ex naribus sanguis emanaret.

### §. III.

#### *Calculi sublingualis prima vestigia.*

Inter has varias valetudinis vicissitudines accidit, ut exeunte demum decimo aetatis anno maxillaris salivarium glandula dextri lateris leuiter et cum modico dolore turgesceret, ipsumque sui ductus, qui a WHARTONO cognomen habet, ostium velut introsum retraheret. Perstitit hic tumor tres integras per hebdomades, donec delapsus antrorsum in ipsum, quod diximus, ostium lapillus leui pressione expelleretur. Pisi maioris formam magnitudinemque habuit, albicans ceteroqui, velut tophaceus, et satis durus. Ipsum hunc calculum non vidimus, quoniam



quoniam pridem per incuriam, et quod parum aestimabatur, est abiectus. Tredecim deinde annos circiter natus ad mercaturam faciendam animum appulit hic iuuenis, tanto rei quaerendae studio, ut exinde Talmudicarum sententiarum cognoscendarum ardor nonnihil restingeretur. Atque nunc laboriosius vitae genus, frequentioresque, negotiorum causa, itinerum opportunitates iuuenile firmarunt corpus, dispulsaque per colatarios canales serosa colluue puriores restituerunt humores. Quibus factis viuis in vultu color, in agendis negotiis alacritas, roburque vniuersi corporis eminuit iuuenile. Eo tempore non querentem audieris de pristinis illis, quae puerum afflixerant, variis destillationibus, siue sub frigido esset Ioue, siue sub calido. At enim vero omni hoc tempore interiecto victus ratio erat, quam ex institutis ritibus oportebat esse, Iudaica. Huic enim genti mensa exstruitur cibus, frequentius ex piscaria, quam ex macello quaesitis. Adde plantentas et offas, mox butyro, mox anserino adipe intermissto coctas; inprimis globosas istas, quae per noctem in tepido furno leuiter rancescunt, et deinde in sabbathariis epulis velut primo habentur loco. Quid de frequentia ieiuniorum dicam, quae laura plerumque excipit caena?



## §. IV.

*Apparatus ad alterum calculum.*

Inter haec Iudaeus noster, postquam cum adulta aetate iustam quoque attigerat proceritatem, vxorem duxit; ex qua aliquot liberorum factus est pater. Auctae hinc domesticarum rerum curae, quaestuosae mercaturae successus, incitata in computandis collectarum opum rationibus diligentia, aliaeque variae causae effecerunt, vt denuo suorum negotiorum partem in seram protraheret noctem. Sensim his ex lucubrationibus varia valetudini imminuerunt incommoda. Vix enim vicefimum quintum noster attigerat annum, cum passim colicis cardialgicisque doloribus, cephalalgiiis, vertiginibusque periodicis adfligeretur. Cuius rei causa, medici mandato, quotannis vena in pede bis est secta: vnde per longiora temporis interualla leuaminis quidquam sensit aeger. Paulo post vero ad anum venae, quas haemorrhoides appellant medici, sed inani nisu coeoque impetu haud infrequenter intumuerunt. Inter ea superuenit obscurus quidam vniuersi corporis torpor et muscularis motus taedium, vt, quando-cunque poterat, nec negotiorum necessitas vrgebat, sedendo potissimum ageret vitam. Atque, dum sic otium dabat corpori, suscitatus denuo est pristinus doctrinarum Talmudicarum amor: in quas profun-

B dius





se abdidit, quotiescunque vacuae à mercaturae curis supererant horae. Cum maturior nunc esset iudicii vis, omni quoque mentis acumine spinosas Rabbiorum argutias indagavit, et inter haec saepe numero naturae in excernendis corporis superfluis molimina negligentius habuit. Quem neglectum autem ipsa mox seuerius vltia est, adeo, vt per plures saepe dies, licet vellet, aeger aluum haud deiiceret, tandemque ex hypochondriis grauiter laboraret. Cui malo medicando varia diuersorum medicorum consilia sunt proposita: sed omnia atque singula in casum. Contigit demum, vt partim medicorum suasu, partim negotiationum necessitate, impulsus aegrotus, anno suae aetatis quadragesimo primo, vniuersam fere Bohemiam peragraret, hac opportunitate thermarum quoque Carolinarum virtutem ad ipsos fontes expertus. Redux inde non sine insigni valetudinis alleuamento, per hyemis subsecutae tempora primum sanguinem ex haemorrhoidibus modice fluentem aliquoties sensit, rariusque ab hypochondriorum malo est attentatus. Per idem tempus quoque minime otiosus, frequentibusque itineribus in parum distita loca corpus sufficienter mouens, comparauit sibi tandem viuudum faciei colorem et perfectae valetudinis speciem, qua, dum **PRAESIDEM** adibat, vt supra dixi, eminebat.



§. V.

*Huius calculi historia.*

Ineunte autem hoc ipso, quem agimus, anno forte accidit, ut sub ipsa summa frigoris vi necessaria aliquot dierum profectio esset instituenda: sub qua aeger, quod aquilonem versus tenderet, ab intensissimo gelu multa est perpeffus. Vix domum redux tumescere coepit maxillaris glandula dextra, quae iam olim ante triginta circiter annos calculo nascendo materiam supeditauerat. Impositum est extrinsecus a chirurgo, hac super re consulto, de cicuta emplastrum: vnde vero augeri tumor coepit. Inter haec instabant nundinae nostrae vernales: quibus interesse, ob grauissimas causas domesticas, Iudaeum nostrum oportebat. Iniit ergo iter, tumidamque glandulam sacco, chamaemeli floribus pleno, textit, ut ab aëris iniuria defenderetur. Altero iam itineris die sensit, linguam sibi sursum propelli a subiecto tumore duro, terete, et oblongo, linguae frenulum versus vergente. Ipse protinus aeger calculi praesentiam est suspicatus, eaque de causa iter, quam celerrime poterat, huc properavit. Vix aduena ad PRAESIDEM nostrum accessit: qui eundem isto, quem in prooemio narrauimus, modo ab ingrato hoc hospite liberavit. Calculus ipse exclusus forma atque magnitudine perfectum oliuarum

B 2

nucleum





nucleum retulit: quam ob causam quoque iconem adiicere non placuit. Quippe teres utrimque in obtusum apicem terminabatur. Color fuit ex subflauo albicans; materies ad speciem spongiosa, ad tactum vero dura et solida, vnde etiam aquae iniectus hic lapillus subsedit; pondus ad stateram computatum triginta vnus granorum. Post calculi exclusionem hiauit saliuales huius ductus osculum ad quatuor fere lineas Parisienses, si diametrum spectes: ex quo maxima profluebat liquidissimae salivae copia, interfluis passim, sed non commistis, immo plane distinctis, particulis velut grumosis, friabilibus et mollibus, coloris flavescentis. Quae massulae copiosiores cum saliva prodibant, quotiescunque leuissime adhuc tumens huius lateris glandula maxillaris extrinsecus pollice premebatur. Abscessum hic subesse, pusque ipsum hic expelli, facile existimasset *PRAESES*, nisi collectae hae massulae in pura albaque charta bibula, sorpto saliuale, qui simul effluerat, humore, sabulosum puluerem reliquissent. De quo ipso dein plura.

§. VI.

*Post haec acta.*

Excluso lapillo tenuissimum specillum flexile, ex balaenacea virgula confectum, haud difficulter totum



tum salivalem subiit ductum, ad ipsius glandulae confinia: in qua vero nullus collecti puris deprehendebatur faccus. Statim autem altero die post, quo syringae ope eluentem atque mundantem liquorem iniicere volebat PRAESES, adeo in naturalem angustiam se contraxerat hic ductus, ut nec tenuissimum syringae admitteret tubulum, nec prius istud specillum. Solum osculum in eodem, quem diximus, persistebat hiatu: ex quo tamen neutiquam copiose atque adfatim erumpebant et saliva, et massulae ante nominatae, nisi pone adposito digito impellerentur. Quoniam igitur Iudaeus noster haud inepte metuebat, ne, si forte denuo grumuli isti in saliva fluitantes, dum per ductum prorepunt, subsisterent, novo calculo nascendo ansam sint daturi: a PRAESIDE nostro id exegit, ut de auertendo hoc malo serio cogitaret. Atque hic optimus praeceptor noster, ipsum praesens exemplum curate secum reputans, perbelle intelligebat, iam pridem CHRISTIANVM AREND SCHERERVM d) rectissime praecepisse: ut, post huius modi calculorum remotionem, saliva, quantitate aut qualitate peccans, emendetur; tum vero canalium salivarium tonus restauretur. Verum enim vero facilius haec praeceperit bonus SCHERERVS, quam perfecerit. In praesenti enim viro non vitiosa salivae deprehendebatur abundantia: ergo sola

B 3

eius-

d) In *dissert. allegor.* §. LXVIII.



eiusdem mistura atque indoles a naturae ordine aberrabat, aut, ut cum SCHERERO loquar, peccabat. Quomodo autem diathesin hanc salivalem, quae perpetuo fere vna cum naturaliter mista saliva haud parum quoque fabulosi istius pulveris emittebat, emendemus? Per medicamenta incidentia, attenuantia, et resolventia; refert SCHERERVS e). Bene! Sed per quaenam? De his certe ne verbulum addidit.

### §. VII.

#### *Periculum medelae prophylacticae factum.*

Cum igitur PRAESES noster de adhibenda huic aegroti prophylaxi sollicitè cogitaret, id sibi negotii ante omnia dari existimavit, ut materiae istius fabulosae, quam diximus, novos proventus continuosque ad glandulam istam maxillarem decubitus, quam efficacissime posset, praecaveret. Eo consilio, ut massae huius terrestri naturam exactius intelligeret, quam ceteroquin calcare generis esse putabat, collegit omnem illum pulverem, in charta bibula collectum, de novoque aqua purissima destillata eluit, ne forte salinarum particularum quidquam adhaereret. Quo facto ex iis, quae circiter quatuor diebus collecta erant, impetrauit albicantis terrae viginti septem grana. Cuius tribus granis instillatus vitrioli

e) In dissert. citat. §. I.





vitrioli spiritus effecit, vt massa haec viuide ferueret: quod idem quoque cum nitri falisque acido, nec non aceto, contigit. Residua quindecim huius terrae grana, laminae ferreae imposita, per duas horas super intenso igne sunt perusta atque calcinata: quorum deinde post refrigerium tria grana ab aliquot guttulis aquae adfufis leuiter efferbuerunt; reliqua, cum ammoniaco sale mista et trita, statim manifesto vrinoso odore, quem spargebant, declararunt, fieri nunc, vt solet, ammoniacalis falis destructionem. Quibus firmissimis ex argumentis certa efficitur conclusione, vt chemici luculentius docent, esse omnino hanc terram, ex saliali hoc liquore collectam, calcaream: quippe quae in vniuerso fere animali regno regnat. Vnde etiam probabilis fit coniectura, non aliam ipsius descripti calculi esse naturam. Quoniam eo tempore, quo haec instituabantur, examinata, prorsus detumuerat dextra haec maxillaris glandula, adeoque etiam nulla latentis forte illinc abscessus erat suspicio: extrinsecus tonici remedii nihil est applicatum. Nimis autem hianti huius ductus osculo tonum, quomodocunque posset, restitutus. PRAESES noster, os frequenter collui iussit vino rubro gallico, in cuius sedecim vnciis duae florum salis ammoniaci martialium drachmae erant solutae. Sed haec et alia huius generis remedia in osculo hoc, ad naturalem diametrum reducendo, nihil profuerunt.

§. VIII.





## §. VIII.

*Eiusdem argumenti continuatio.*

Potior autem instituti ratio, sicut paullo ante retulimus, in eo versabatur, quo materiae supra dictae largiorem ad salivales glandulas metastasin aueramus, eandemque per alia corporis cola expellamus. Cui fini impetrando duplex praecipue via prae ceteris visa est opportunissima. Altera, si ipsam hanc calcaream materiem, sanguini lymphaeque per vforum eorundemque internorum parietum, reliquorumque solidorum attritum immistam, solubilem redderemus, adeoque ad egressum praepararemus: altera autem, si eandem, iam solutam, ad lotii inprimis itinera, quibus commodissimus et a natura iam praefinitus huiusmodi recrementis egrediendi est locus, deduceremus. Quod ad priorem attinet, iam supra intelleximus, acidis liquoribus in soluenda id genus calcarea terra nihil esse efficacius. Verum enim vero si acida huius classis remedia pura vel maiori copia tubo intestinali ingereres, quanta foret eorundem ab admistis variis salibus animalibus immutatio, antequam ad salivales glandulas peruenirent. Eo igitur fine selectum a PRAESIDE est sal quoddam ammoniacale liquidum: quod et facillime ab intestinorum villis sorbetur, et breui itinere, postquam venoso cum sanguine pulmonum angustias superavit, ad caput fertur. Adde, quod dum inter calidos sanguinis globulos prouoluitur, facile et pededentim in sua elementa, aceti nimirum acidum et alcalinum volatile, dehiscit, simplex enim calor in destruendo  
hoc



hoc sale iam idem praestat: vnde acetosum acidum calcareas, quas offendit, particulas in se soluitque. Seiunctum vero sui iuris factum sal vrinofum, partim omni nouo connubio liberum vrinaria adit cola, eademque ad expeditiorem sui liquoris excretionem incitat; sicut ex huius salini elementi maiori in vrinis copia coniicitur: partim hinc inde domestica liquorum animalium offendit acida, quibuscum in nouum coit sal ammoniacale; exemplo salis natiui vrinae. Hoc est chemicum ipsius animalis naturae opificium, cui multae multorum medicamentorum debentur virtutes. Imperatus autem est aegroto diuturnus spiritus Mindereriani vsus, terque per singulas dies datae sunt eiusdem duae drachmae. Intelligitis iam, lectores, hac methodo in alteram quoque, quam diximus, viam, diureticam nimirum, calcareas particulas, quaecumque erant solutae, sensim esse deductas. Sed, vt constantior expeditiorque haec esset via, saponaceum remedium priori opportune interponi posse, ratus est PRAESES. Proinde ex vna saponis antimonialis IACOBI et tribus Veneti saponis partibus pilulas confici, harumque scrupulum quotidie ab aegroto, cubitum ituro, deglutiri iussit. Selteranae denique acidulae, Rheno vino permistae, inter prandium coenamque sunt potae.

### §. IX.

#### *Diaeta aegroto praescripta.*

Sed medelae quoque intererat, vt medicamentorum datorum vires aegrotus conuenienti vitae vitusque

C

ctusque





Etusque ratione adiuuaret, et euitatis adeo prioribus  
 in viuendo erroribus nouae lithiasi intercluderet viam.  
 Quippe eo potissimum dirigenda erat omnis medici  
 intentio, vt ne partim glandularum saliuarum eo-  
 rumque canalium, a quibus salua colatur, tonus aut  
 infringeretur nimis, aut vehementer intenderetur, et  
 adeo vtraque ex causa dictorum colorum obstru-  
 ctiones orirentur: partim ne hoc in viro omnes sin-  
 gulique humores lentorem spissitudinemque contra-  
 herent, sed vbique in itu redituque iustam tenuitatem  
 fluiditatemque conseruarent. Quod enim prior vi-  
 uendi genus, cuius ideo rationes antea accurate ex-  
 posuimus, his ipsis regulis plane fuerat contrarium  
 atque aduersum, mirari non possumus, cur in tantum  
 lentorem salua sit mutata, vt ab initio obstructio,  
 dein forte abscessus, tandemque calculus saliuaris hu-  
 ius glandulae nasceretur. Haud etiam sanguini ex  
 inferioribus locis expeditissimum hoc in viro ad cor  
 fuisse iter, quis facile negauerit, si hypochondriacos  
 haemorrhoidalesque consideret adfectus. Ergo, quod  
 ad esculenta spectat, commendauit **PRÆSES** præ  
 reliquis obsonia, ex hortensibus desumpta: præsertim  
 quod horum acidum, quo scatent, vegetabile calca-  
 reis animalibus particulis impedimento esse poterat,  
 quo minus coirent. Farinaceis autem pultibus, pla-  
 centis, offisque, præcipue sabbathariis istis, interdixit  
 aegrotò. Carnium bonae notae, vitulinae, veruenci-  
 nae, bubulae, parcus esus admissus: anserina, quae ce-  
 teroqui Iudaeis saluam mirifice mouet, negata. Nec  
 frequens piscium vsus, lucio forte excepto, poterat ferri.  
 Caseus ad insalubria fercula reiciiebatur: ad saluber-  
 rima



rima vero horaeorum fructuum quodlibet genus. Porro Iudaeus noster potare iussus est quaelibet dilutiora potulenta, cereuisias secundarias, aquas minerales leuiter acidulas, verbi causa Selteranas, Bilinenses, aliasque huius generis, modica vini Rhenani portione permistas. Vita denique actiuosa, mobilis, et negotiis distracta est imperata: prohibitaem autem sunt diuturnae lucubrationes, et ante omnes Talmudicae.

§. X.

*Paralipomena quaedam.*

Antea vero, quam nonnullas de ortu et salisue horum calculorum quaestiones adiiciam, enarrabo, lectorum venia, qualis supra dictae medendi methodi fuerit euentus. Rediit quippe idem ipse Iudaeus nuperis nundinis aestiuis ad PRAESIDEM: laetus quidem, quod ex eo tempore nulla pathemata hypochondriaca atque haemorrhoidalia fenserat; sollicitus vero, quod interim, ineunte in primis Maio mense, a rheumaticis artuum doloribus satis grauiter erat vexatus, vnde perfectam arthritidem imminere putabat. Contra ea PRAESES securi esse animi iussit aegrotum: ratus, ex his ipsis doloribus declarari, calcaream istam materiem, quae antea ad saliuae vias potissimum erat congesta, nunc magis esse diffusam, mobilemque factam, et ad faciliorem per congrua cola exitum expeditam. Postquam deinde adfectae olim maxillaris glandulae praefens examinabatur conditio, sequentia sunt deprehensa. Excretorii ductus osculum aequae, ac nuper, hiabat, sine conspicuo tamen inuoluntario saliuae stillicidio: ipsa glandula non amplius tumebat,





quotiescunque vero extrinsecus premeretur, liberaliter atque euidenter suo ex ductu saliuā profluxit. Innatantes vero pristinae istae massulae calcareae penitus fere deerant: siquidem vix singulis ternis quaternisque diebus aliquod earundem vestigium in saliuā deprehendebatur. Sed de his omnibus nunc satis. At video, quaestiones proponi mihi: vndenā eiusmodi calculi ortum ducant? quaenam sint caussae? Quibus facile respondi potest, nihil hic in gignendis eiusmodi lapillis esse eertius, efficacius nihil, quam quemcunque vitiosum animalium liquorum lentorem: cuius occasionales atque praedisponentes causas ille profecto facile intelliget, qui vitam huius aegroti ante actam, supra a nobis descriptam, attente perlegerit, contuleritque cum iis, quae deinde de dirigendo vitae victusque ordine disputauimus. Ante haec vero iam ex professo hanc materiem pertractarunt ipse optimus PRAESES noster f) et illustris ELLERVS g) atque SCHERERVS h): qui ab iis legendi sunt, quorum interest, absolutiorem huius rei habere notitiam. Vndenā autem factum sit, vt pleraque huiusmodi saliuālium calculorum exempla, ab obseruatoribus passim consignata, dextri lateris occuparent ductus, alia est quaestio: quam ego saltem ex anatomicis physiologicisque rationibus soluere non audeo. Id vero qui poterit, vt nihil dubii sit reliquum, is certe

— — erit mihi magnus Apollo.

f) In programmat. citat. pag. 17 seq.  
 von der Erzeugung der Steine im menschlichen Körper im Hamburg. Magazin, 19 Band. pag. 464.

g) In der Untersuchung  
 im Hamburger Magazin, 19 Band. pag. 464.  
 h) In differ. citat. §. XX seq.




01 A 6631 ✓

ULB Halle  
004 931 246

3









72

CALCVLI  
SVBLINGVALIS  
NVPERVM QVODDAM  
EXEMPLVM



PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE. ORDINIS  
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD. D. . NOVEMBR. CIOICCLXXXIV.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICA DISSERTATIONE

DESCRIBET

IOACHIMVS FRIDERICVS WEGENER,

NEOSTADIO - EBERSWALDENSIS, MARCHICVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVN,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO